



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. II. Quænam potissimum in Amico fideli desiderantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

in me boni operis testimonium non agnoscas, officium tamen credita dispensationis non recuses: ne per me illius salutis pereat pretium, pro quo victima factus salutaris copiosum sanguinem effudisti.

§. II.

Quenam potissimum in Amico fideli desiderantur?

TRia debet ægro Amicus fidelis: obsequium, compassionem, si-
ve doloris, ex dolore ejus, signifi-
cationem; nec non consolationem.
Hisce considerationibus ad id operis
excitet sese. 1. An non ego fortuna-
rus, cui nobilis hæc provincia obti-
git, in qua, vitæ suæ partem non exi-
guam posuit Christus Servator
meus? 2. O quàm jucundum erit in
decretorio illo extremi judicii die,
audire verba ista mellea! a *Ve-
nite benedicti Patris mei; possidere reg-
num, &c.* Æger fui & visitastis
A s me,

a *Mat. 25.*

me, in luctu eram, & consolati estis me. Si casu dolet digitus, confestim ad illum juvandum oculorum orbem convertuntur. Si læsus est pes, sine mora pedi manus opitulatur. Nonne sumus unius corporis membra? Absit ergo, ut alter alteri, quod in nobis erit, caritatis hoc obsequium denegemus, aut malignè præstemus.

Amici fidelis intentio purissima esse nec aliò ferri debet, quàm ut anima, Christi redempta sanguine, finem suum, qui est æterna beatitudo, consequatur.

Optandum est ut non mediocriter versatus sit in rebus spiritualibus, & ut prudentiam gratiamque habeat cum omni hominum genere utiliter conversandi: aliter cum doctis & ingeniosis, aliter cū indoctis ac rudibus gerere se debet: illis, pauca & selecta; his, paulò plura, eaque magis explicata suggerenda erunt; neq; semper eodē modo cū his, vel cū illis procedendum: Videndum enim an qui invisuntur sensibus adhuc vi-
geant,

geant, an fortè morbus reddiderit illos hebetiores: videndum an graviter, an leviusculè cum doloribus cōflictentur. Habenda interdum circumstantium ratio, quibus subindè opportunè dicta prodesse poterunt. Cavendum autem ne uno contextu, ne properanter nimis, ne uno tono dicantur omnia; filum de industria interrumpendum; silentioque indulgendum; ut æger audita melius digerat, & crebrioribus interrogationibus fortè fatigatus non nihil interquiescat.

Verba ipsa candida sint, fuci omnis expertia; loquēdi modus natus ab omni fastu & affectatione remotus. Benè fecerit Amicus fidelis, si res ipsas quæ dicendæ sunt, modumque dicendi ac ordinem præmediteretur: nam si aliis in negotiis, in hoc maxime videndum est quid, quando, quomodo, quatenus.

S. Ignatius Loyola, part. 4. const. c. 8. §. 7. Curandum est, inquit, ut, ea quæ ad benè moriendū conse-

runt, quique modus in eo tempore
 in quo tantum est momenti ad fi-
 nem ultimum æternæ felicitatis
 consequendum, vel ab exciden-
 dum teneri debeat, intelligatur.
 Sacerdotibus verò, qui evocan-
 tur ad juvandos eos qui morti
 vicini sunt, præscribitur, ut ea in-
 promptu habeant quæ usui esse
 possint: utque tamdiu illis ad-
 sint, quamdiu sola necessitas po-
 stulabit.

§. III.

*Quid maximè observandum Ami-
co fideli.*

QUOD primò dictum oportuit, di-
cam modò,

*Idque unum repetens, iterumque, ite-
rumque monebo.*

Amicus fidelis, quocumque tan-
dem tempore ad ægrum evocetur,
moras omnes abrumpat, negotia a-
lia, quamvis in speciem urgentia tan-
tis seponat, & negotium hoc, ne-
gotium negotiorum existimet. No-

VIS